

deinde agricolas canit et ad ultimum bellatores. ergo in- 150
cultam primum et pastoralem vitam hominibus fuisse buco-
licis indicat, post necessarias mortalibus fruges et usum agro-
rum inventum georgicis ostendit, perinde cupiditate possi-
dendi extensione finium ad arma usque perventum est.

aut (quia) tres modi locutionum sunt, quos *χαρακτῆρας* 155
Graeci vocant, tenuis, moderatus, validus, credibile erit Vir-
gilium, qui omni genere scientiae praevaleret, bucolica ad
primum modum, georgica ad secundum, Aeneida ad tertium
voluisse conferre.

intentio libelli, quem *σκοπόν* Graeci vocant, in imitatione 160
Theocriti poetae constituitur, qui Siculus ac Syracusanus
fuit, et in laudem Caesaris et principum ceterorum, per quos,
ut supra diximus, in sedes suas atque agros rediit. effectus
finisque carminis et delectationem et utilitatem secundum
praeceptum continet.

165

quaeri solet, cur non ultra quam X eclogas scripsit. quod
nequaquam mirum videbitur, qui consideraverit, varietatem
scaenarum pastoralium ultra hunc numerum non potuisse
proferri; cum ipse poeta circumspectior Theocrito, ut ipsa